



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 4. Cardinalis le Veneur mortuus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI.

A.C. 1543.

§. IV.

*Cardinalis le Veneur mortuus.**Ciac. p. 525.**Joan. Chen.**de Episcop.**Gall.**Fris in Gall.**purp.**Sau-Marth**in Gallia**Christiana.**Mubery l. c.*

Alter erat Joannes le Veneur, seu Venator natione Gallus, cujus Pater fuit Philippus le Veneur Baro de Tiliers, Mater vero Maria Blosseta Guilielmi de S. Petro & Carragio filia. Is in Episcopum ac Comitem Lexoviensem, nec non anno salutis nostræ quingentesimo quinto supra millesimum defuncto Avunculo suo Stephano Blosseto Antecessore suo in Abbatem Beccensem eligebatur, & postea unacum Rouvilla Regis nomine Normanniam cum suprema potestate gubernandam suscepit, concesso hanc in rem Diplomate, quod Alenfonius hujus Provinciæ Governator anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo quinto die quarta Martii confecerat, anno autem sequenti Franciscus I., eoquod hujus Præsulis probitatem, ac præclaras animi dotes maximi haberet, eundem magni Franciæ Eleemosynarii dignitate auxit, ac tunc temporis, cum Rex Massiliam ad fœdus cum Clemente VII. Papa ineundum pergeret, ac nuptias Henrici natu minoris filii cum Catharina Medicæa ejusdem summi Pontificis Nepte conciliaret, Joannes Cardinalis Presbyter titulo S. Bartholomæi in Insula anno post

post Christum natum millesimo quin-<sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 gentesimo trigesimo tertio die septima A.C. 1543.  
 Novembris renuntiatus est, qui etiam,  
 cum Eleemosynarii munere fungeretur,  
 statuta sacrarum ædium Parisiis ad me-  
 liorem normam revocavit, nec non Pon-  
 tis Audomari Ecclesiam religioso ritu  
 sacravit, atque exequias Georgii Cardi-  
 nalis de Ambasia Rothomagensis Ar-  
 chiepiscopi celebravit, nec minus in-  
 terfuit, ut testatur Ciaconius, Romæ  
 Comitii Pontificii, in quibus Paulus  
 III. electus est Romanus Pontifex. Ce-  
 terum Joannes ob insignem pietatem &  
 liberalitatem erga pauperes, nec non  
 propter vigilantiam, ceterasque omnes  
 virtutes dignitati, qua effulgebat, pro-  
 prias ingens sibi nomen comparabat, &  
 suam Lexoviensem Ecclesiam amplissi-  
 mis redditibus locupletabat, demum ve-  
 ro die septima Augusti anno Incarna-  
 tionis dominicæ millesimo quingentesi-  
 mo quadragesimo tertio fati functus  
 in Ecclesia S. Andreae de Appevilla se-  
 pultus est; illius autem cor in Nor-  
 manniam delatum, atque ad aram  
 majorem in Choro Beccensis Abba-  
 tiæ conditum fuit.